

## Celer

in popinā Celer prope Giscōnem sedēbat. canis cicātrīcem lambēbat.

‘cūr Celer cicātrīcem habet, Giscō?’ rogāvit Currāx. ‘cicātrīx ē vulnere est?’

Giscō rem nārrāvit:

‘ingēns aper in silvīs prope Londīnium habitābat. agricolae Britannicī dē aprō erant ānxiī, quod aper in agrīs currēbat et frūgēs dēlēbat. aper vīcōs quoque intrābat et animālia petēbat. Britannī aprum necāre cupiēbant.

‘tum agricolae mē ad vēnātiōnem invītāvērunt. Indus quoque aderat. nōs duo equitābāmus et vēnābula portābāmus. Britannī ad vēnātiōnem ambulābant et canēs dūcēbant. ūnus ē canibus erat Celer. mox silvās intrāvimus, ubi aper habitābat. agricolae magnum clāmōrem tollēbant et canēs vehementer lātrābant.

‘subitō fragōrem audīvimus. aper aderat et ad Britannōs currēbat. Indus vēnābulum in aprum iactāvit, sed aper vēnābulum vītāvit. equus meus erat perterritus et calcitrābat. ego ad terram praecipitāvī. dē vītā dēspērāvī. ingēns aper nunc mē petēbat.

‘sed canēs Britannicī sunt fortēs. ad aprum currēbant. dux erat Celer. postquam Celer aprum petīvit, aper eum vulnerāvit. tum canēs aprum superāvērunt. Celer mē servāvit.’